



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

26. Dies Maii. Perditissima ratio est, diligere formam, negligere famam.
Cicero 4. Rheth.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

Majus.

Tessera.

399

nasum , sed fœdum in tergo regibum : hic perfe-
cto est corpore , sed calvo est capite . Nil huic ho-
mini videtur deesse , nisi unum , quod non sit aptus
præesse . In illo nihil est quod desideres , nisi non es-
set tam deses . Ille esset factus ad unguem , si caput
non scalperet unguibus . Ille esset homo omni ex
parte consummatus , nisi esset tam facile iratus . Illius
vita esset vivendi norma , nisi sineret se rapi alienâ
forma . Denique sit hoc oraculi vice , quod cecinit
Poëta :

Jam vix sunt vii , qui caruere nisi .

26. DIES MAII.

Perditissima ratio est , diligere formam ,
negligere famam . Cicero 4. Rheth.

Ubi est vel I.
minimus de-
fectus , nullus
sit neglectus .

Tamen si quilibet habeat , quo
dispicet homini , defectus ,
nullus tamen debet esse in
eo eradendo , ne dispiceat
Deo , neglectus . Plus rationi repugnat diligere
corpus , & negligere animam , quam diligere formam ,
& negligere famam . Plus est tibi tua fama , quam
forma , quia illa à pluribus auditur , quam hæc vide-
tur ; inde sis notior commendatione famæ . Pluris
quoq; æstimas famam animæ , quam formam corporis .
Semper ægrotare , malum tibi esset intolerabile , inter
humanos artus , habere membrum aliquod brutæ
pecudis , esset malum inæstimabile . Prodigiosior
est minimus in anima nævus , quam maximus in
corpore morbus . Non auderes te foris spectabilem
exhi-

exhibere, si in facie haberes os serpentis. Plus Deo displicet ex ore tuo verbū unicum levissimæ detractio-
nis. Quanto esses omnibus ludibrio, si prodires in
conspectum hominum cum capite bovino, vel equi-
no? Probrosius est coram Deo volvere cogitationē
unam, quæ vel propter fœditarem est illicita, vel pro-
pter vanitatem ridicula. Imò major est similitudo
inter corpus hominis, & brutæ pecudis, quām inter
Gratiam, & peccatum etiam levissimum.

II. Hoc tibi sit persuasissimum, deformitatem in
anima defectus minimi, exceedere deformitatem
quamcumque corporis non modo quæ nunc est, vel
fingi potest, sed quæ esse potest Dei infinita potentia.
Pretiosioris rei pejor est corruptio, & ejus quæ rectil-
sima debet esse, magis offendit obliquitas: quid ani-
ma pretiosius, quæ excedit omne pretium? cuius ve-
stis est Gratia, cibus Christi caro, potus ejusdem san-
guis, ministri Angeli, frater Dei Filius, Pater ipse
Deus, Patria, Regnum Dei? Quare minima in ea la-
bes, plus Deum offendit, quām omnium corporum
strages, & omnium Regnorum clades. Nec potest
mens hominis fingere, nec Angeli concipere, solus
Deus potest intelligere, quantum malum pariat ani-
mo, levissima labes Animi. Quām esses prodigium
portentum, si haberes cor in ventre, non in pectore.
Formidabilius monstrum est cor à Deo factum, &
factum, ut eo toto Deum totum amares, aliud quod-
cumque in amando ei præferre. Cor tibi est in sto-
macho dum intemperantiū indulges genio: Cor ti-
bi est in faucibus, dum nimium studes exauriendis
calicibus: cor tibi est in manibus, dum illas extendis
auferendis aliorum opibus.

Majus.

Tessera.

401

III. Cenſeres te Alpha miserorum, si laborares
cancro, quid si his accederet ilias morborum, lepra,
asina, paralysis, hydropisis, abominatio stomachi, in
pedibus podagra, in manibus chiragra, in toto cor-
pore ciathica, in oculis cæcitas, in auribus surditas,
in capite phrenesis, in lingua balbuties; quid si te uno
agmine invaderent, & discerperent, mala omnia
corporis? quæ fuerunt, sunt, erunt, esse possunt: non
ne malles eradi ex hominum syllabo, & mundo ex-
esse, quam talem esse? Amabo te, inter omnia, quæ
discis, unum tandem disce, æstimare æstimabilia.
Plus tibi nocet, & magis Deo displicet, culpa animæ
vel unica, quam mala corporis omnia. Et minus est
intervallum inter Nihil & Omnia, quam inter ma-
lum corporis maximum, & Animi minimum. Si ut
possis uno illorum, de quibus memini, in morbo exi-
mi, nempe à cancro, libenter permitteres secarι
membrum; quid faceres, & non faceres, ut possis
ab omnibus sanari? Quæ est hæc insania, nolle sana-
re? Infestior tibi est quælibet animi ægritudo, quam
omnis corporis ægrotatio, E præfatis exurget hæc
veritas:

Supra omnes clades, animi unica sit tibi labes,

27. DIES MAI.

Quid miserius misero, non miserante
seipsum? Sanctus Augustinus l. I. con-
fess. c. 13.

Pars II.

Ce

I, Maxi-